

*

Inhalt

12



ENCOMIUM

ACADEMIARVM, STV-
DIA DOCTRINARUM PIE
RECTEQVE PROFITEN-
tium & propagan-
tium,

IN FESTIVITATE ANNI SE-
CVLARIS AB ACADEMIA FRAN-
cosurtana ad Oderam V. Cal. Maij
Anno MDCCVI.
celebrata,

*Carminē Elegiaco scriptum &
ad eandem accommodatum*

à

IOHANNE HEIDENRICHIO
S. Theologiae D. & Profess. P.
nec non Collegij Theologici pro
tempore Decano.



Francofurti

Typis Nicolai Volzii



11



ELEGIA SCRIPTA

IN FESTIVITATEM ANNI
secularis, ab Academia Francofurtensi
ad Oderam V. Cal. Maii ANNO
CIDIDCVI Celebratam.



Ommoda si quædam sua tellus
Marchica jactat
E quibus egregiæ nomina
laudis habet,
Eminet e reliquis illud quod Pal-
ladis arcem
Magnorum struxit proui-
da cura **DVCVM**

Hic ubi flexibus obliquis fluit Odera, cuius
Frondescens multo verbere ripa tremit,
Hoc decus est pro quo dicendas esse putamus
Nunc summo grates uota precesq; DEO,
Quod spacio seculi modo passus non fuit huius
Marchiacos doni commoditate frui,
Terrarum uarijs sed quod quoq; cessit in oris
Id felix fato prosperiore suo.
Nam quia summa DEI constant benefacta quibusuis
Non hominum modo quod condidit ipse genus,
Sed pariter certo quod uerbo se patefecit,
Et uoluit scripto tradere dogma sacrum,

A ij

Ipsius

Ipsius ex quo noticiam capiamus, & unam
Discamus quæ nos ducit ad astra uiam:
Haud quisquam præstat miseris mortalibus ullum
Officium maius nobiliusue bonum.
Israelis quam si sacra dogmata fontibus hausta,
Cœtibus enarret uoce styloq; pijs,
Et quæ concurrunt pugnantia plurima monstret;
Errorum crescat ne scelerata lues:
Sed nemo justis præstat rationibus illa,
Errorum vel tot sternere monstra potest.
Cui non egregias didicisse fideliter artes
Sanctas aut linguas unica cura fuit:
Et qui non alios audiuerit ante docentes
Ex studijs, usu, iudicioq; graues,
Quos crebro uideas compescere falsa sonantes,
Et rapidos fida pellere uoce lupos.
Doctores igitur florens Academia tales
E grege discentum suppeditare potest.
Hinc aluo ueluti fœtus matrisq; canali
Vitam percipiens lac trahit inde suum:
Sancta DEI sic nos Ecclesia nutrit in aluo
Dulcius insertos & sibi lacte fouet,
Cum per Doctores, his usa canalibus, in nos
Transfundit lactis munera uiuifici,
Cœlestis uerbi quoties alimenta ministrat,
Cordibus & mæstis plurima læta refert.
Quin etiam fœtus matris ceu natus in aluo,
Diuina pariter non nisi uiuit ope:
Non aliquod nasci vel sic florere Lyceum
Est certum præsto nisi sit & ipse DEVS,
Auspicio cuius surgant felicia cœpta
Succedant simili semper & auspicio.

Hinc

Hinc foecunda boni genitrix Academiã tantum
 Non hominum generi commoda plura parit,
 Ingenium quando multorum dogmate sacro
 Excolit, hinc templis cedat ut utilitas:
 Sed quoq; qui Leges qui discant Ciuica Iura,
 Informat uigili pro ratione sua,
 Ut sint iustitiæ tandem firmare theatrum
 Qui possint, cordi sit quibus alma Themis.
 Nec desunt doceant qui rite Machaonis artes
 Subsidio quarum corpora sana vigent,
 Aut cum læsa jacent, monstrant medicamina tuta
 Ut ualeant rursus, non reuente DEO,
 Sunt hic præterea uirtutum dogmate mentes,
 Qui uitij raptos ad meliora trahunt.
 Sunt hic naturam rerum scrutantur ab ortu
 Qui primo, causas illius atq; docent,
 Sunt hic de numeris sua qui compendia tradunt
 Et per quos cœli noscere signa licet.
 Historiæ nec non studium Phæbæa Poësis
 Hic est ingenij & satis apta bonis.
 Talia proponunt ergo quia culta Lycea
 Doctrinæ merito dixeris Oceanum,
 Quin & Thesaurum reputes nimium preciosum:
 Cui similem sapiens esse sub orbe negat.
 Conditiõ uitæ præsens quo constat, & illo
 Vix aliqua tandem parte carere potest.
 Iam quis erit possit qui cunctos enumerare
 Aut proprijs illos dicere nominibus,
 Qui lapsa studijs his seculo rite politi
 Profuerint celebres quot quibus atq; locis,
 Ex hoc Marchiaco dimissi quando Lyceo
 Functi sunt passim rectius officijs,

Ad quæ legitima fuerant ratione uocati
 Id semper summo prospiciente DEO.
 Vnde parum laudis non his accessit Athenis
 Marchiacis, terræ Principibusq; uiris,
 Numine qui moti generosa mente uolebant
 Munera non paucis tanta parata locis.
 Namq; bonum quoduis communia linquere gaudet
 Quæ statuit multis conciliare bonum.
 Hoc sanctum sed consilium uel regia facta
 MARCHIONVM, paucis Musa referre negat.
 Adde quod & patriæ terræ sunt inde secuta
 Commoda mille chori, commoda mille fori.
 Isto nam constat quibus obruta tempore tellus
 Hæc fuerit tenebris Relligione sua
 TETZELIUS cum uenales obtrudere merces
 Ausus erat spondens regna superna poli.
 His tamen exclusus sed ut impius ipse carebat
 Sic nulli poterat uendere Verna Papa.
 Illius hinc fraudes syncera docente LVTHERO
 Detectæ cunctis his patuere locis.
 Et licet immittens fera fulmina uoce styloq;
 Subsidiû damnis quæreret ille suis,
 Attamen haud potuit quæ sunt euertere vera,
 Blanditijs nihil hic obtinuitue minis.
 Et prostrata fuit sic Indulgentia mendax
 Monstris cum reliquis quæ latuere dit.
 Amphitrionyades uelut alter namq; LVTHERVS
 Depulit auspicijs singula CHRISTE tuis.
 In templis simul hinc ceciderunt sacra Maosim
 (Id fidei bustum proh dolor ante fuit,)
 Sic ubi fulserunt diuini lumina uerbi,
 Absterse sordes Relligionis erant,

Barba

Barbaries alijs vitæ nec partibus vltra
 Cœpit habere locum sed dedit acta fugam.
 Exulibus Musis fundata palatia namq̃
 Duxerunt quæuis talia ferre nefas.
 Hinc qui prodibant plures Ecclesia semper
 E quorum studijs ædificata viget.
 Hinc etiam potuit producere Curia multos,
 Quorum res passim publica poscit opem.
 Hæc igitur qui non ingentia commoda cernit,
 Pectore nec grato noscere dona cupit,
 Ex doctis quæ nascuntur super orbe Camœnis,
 His locus haud asper si modo contigerit,
 Amplius est hominis vix dignus nomine torui
 Instar sed bouis hic jure putandus erit.
 O fortunatos igitur bona si sua norint
 Ciues, his vti rectius atq̃ sciant,
 Aonias prope qui Musas habitare solebant,
 His pacto poterant & melioræ frui.
 Si modo non tenebris mergi velut ante profundis.
 Attractam terris barbariemq̃ velint.
 O fortunatos luuenes quoq̃ si bona norint
 Maxima, doctrinæ quæ parit Oceanus,
 Ingenium studijs si non lassare verentur,
 Si bene sunt memores officijq̃ sui.
 Nunc tibi Grex doctus DEVS o ter Maxime grates
 Quas ex corde potest carmine, voce, refert,
 Hoc summâ modo non quod pro bonitate Lyceum
 Fundari placuit cultius ante tibi,
 Sed per centenos jam quod feliciter annos
 Seruasti saluum mille pericla fugans,
 Pro turbis pacem, pro falsis vera reducens
 Pro tenebris lucem substituensq̃ tuam.

Illud

Illud præterea deuota mente rogamus,
Auspicio felix possit vt esse tuo:
Incipimus quod nunc seclum numerare secundum,
Vt fiant rursus plurima grata tibi,
Incl^yta *MARCHIONVM* tu fac *BRENNI* *QUE* Nepotum
Per te salua domus floreat illa diu,
Non modo fundatrix templi *SOPHIÆ* fuit huius,
Quæ quondam miti pro pietate sua,
Nunc etiam cura sed sollicita fouet illud,
Hæc simul & Musis ocia grata facit.
Deniq; fac Patres accepta parare Lycei
Vtilibus studijs officijsq; tibi.
Vt tua sint maneant hæc & plantaria semper,
Per quæ succrescat nomen honosq; tuus,
Donec in æternum te plena laude *IEHOVAM*
Prædicet os nostrum criminis absq; lue.

FINIS.



Inhalt.

1. Oratio : Oratio ad Carolum pro Hatten et Zwickau
2. Hatten & Wolke : Epistolae, Consolatoria, Oratio
Wiskubispensis, Epistolae.
3. Pompeii etc.
4. Re Caesarea dey Mariae Drum etc et
Nunci commissum ad Ducem Salinarum
5. Causae quarum synodorum etc.
ex Smalcedin 7537.
6. Historia Prædium I.
7. Homines de manibus
8. Controversiae etc.
9. De voluntate
10. ETHOS EPH MIAS TIKON
11. ENCOP war Ad de arum^m

